



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectae

Sandini, Antonio

Bambergae, 1753

IV. S. Clemens I. Anno Christi 93. Domitiani Imperatoris 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

Dauidе generis sui originem ducerent, interfici jussit. Et cap. 20. Quippe Domitianus de adventu Christi, perinde ac Herodes, sibi metuebat.

Orosius lib. 7. cap. 10. *Per omnes scele- rum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissima persecutionis edictis, convellere auderet. Vide Pagium ad an. 89. §. 6. & 7.*

(2) *Ludovicus Jacobus à S. Carolo Bibliothecarius Pontif. pag. 58. ut est apud Petrum Coustant tom. 1. Epist. Rom. Pontificum pag. 5. ab omnibus auctori- bus affirmari memorat, Cletum scripsisse epistolas, in quibus omnium primus usus est verbis illis · Salutem & Apostolicam benedictionem, sed has à se frustra qua- sitas, ibidem testatur.*

IV.

S. CLEMENS I.

ANNO CHRISTI 93.

DOMITIANI IMPERATORIS 10.

Bar. an. 93. §. 1. Cap. IV. 3. **C**LEMENS Faustini filius, Roma- nus, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait: Cum Cle- men-

mente & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, *quartus post Petrum Romanus Episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tertius Cletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* (1)

Hic, ut est in libro Pontificali, per septem Urbis regiones constituit Notarios, qui gesta Martyrum scriptis mandarent, & in Acta Ecclesiæ referrent. (2) Excitatâ ab Trajano adversus Christianos persecutione, in Chersonesum Tauricam relegatus traditur. (3) Cùm omnes ferè illius regionis incolas Christianæ doctrinæ prædicatione & præclarissimi miraculi illustratos splendore, ad veri Dei cultum à vitæ pravitate con-

vertisset, Trajani jussu in mare de-

mersus *fidem, quàm (à S. Petro) didicerat, & docuerat, martyrio consecravit* (4) anno Ch. 102. IX. Kal.

Decembris, *anno nono, mense ac die sexto, quàm Clero successerat.* Quæ sub ejus nomine feruntur scripta, omnia supposititia sunt præter epistolas duas ad Corinthios.

B

AN-

Sandini Vitæ Pontif.

Bar. an.

102. §. 1.

Pag. an.

100. §. 2.

ANNOTATIONES.

(1) S. Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 15. S. Clemens epist. 1. ad Cor. cap. 4. *Propter emulationem Pater noster Jacob aufugit à facie Esau fratris sui. Hæc loquendi ratione, ut notat Petrus Coustant, indicare videtur Clemens se ex Jacob stirpe potius oriundum, quàm ex prosapia Cesarum; adeoque Judæum, non Romanum esse. Secùs tamen Eucherius in epistola ad Valerianum sentit. Fortè etiam Clemens Jacob eo sensu patrem nostrum vocat, quo Paulus Rom. 9. promissionis filios in semine Abraham & Israel computari docet, eosque ex ipso Israel Dei, Gal. 6. 16. nuncupat.*

S. Epiphanius har. 27. §. 6. credit, S. Clementem Episcopatu initiatum à D. Petro, ut ejus vices obiret, eo Evangelii promulgandi causâ absente. Rufinus Præfat. in libros Recognitionum S. Clementis id negotii Lino & Anacleto datum vult. Bollandus tom. 1. April. pag. 17. simul omnes ponit:

(2) Urbis regiones erant quatuordecim, quas Clemens in septem contraxit, & in singulis notarios posuit, qui inde dicti sunt Notarii *regionarii*. Anastasius in Hadriano I. *Domnus Paulus Papa eum clericari jussit, quem Notarium regionarium in Ecclesia constituens, postmodùm eum Subdiaconum fecit.*

(3) Acta

(3) Acta S. Ignatii martyris ex editione Usserii apud Ruinartum pag. 11. *Trajanus persecutionem comminans, omnes ipsos Dei cultores existentes vel sacrificare, vel mori cogebat.* Persecutio III.

Tertullianus Apologet. cap. 2. *Plinius secundus cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsus, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem per epistolam, quæ est 97. lib. 10. ubi Trajani quoque responsum habetur.*

Eusebius lib. 3. cap. 32. scribit: *Sub Trajano particularem quandam per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persecutionem.* Et cap. 33. ait, *plurimos ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subisse.*

(4) Zosimus Pontifex apud Baronium ad an. 417. §. 20. & apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1558. Martyr dicitur etiam à Concilio Vasensi I. anno 442. celebrato can 6.

V.

S. ANACLETUS.

ANNO CHRISTI 103.

TRAJANI IMPERATORIS 4.

A NACLETUS (1) Atheniensis Bar. an. 103. §. 2.
Memoriam B. Petri construxit &

B 2

com-